

24. Et Marci 16. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit: Ideoque Rom. 6. 3. dicimur per baptismum baptizari in mortem Christi. Et Gal. 3. 26. Quicumque baptizati estis, Christum induistis. Et Eph. 5. 26. legitur, quod Christus Ecclesiam suam sanctificet mundatam lavacro aquæ per verbum.

25. Sic Tit. 3. 5. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. 1. Pet. 3. 21. Baptismus nos quoque salvos reddit, quo non carnis sordes abijciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia respondeat apud DEVM. Athac omnia sine fide fieri nequeunt. Ergo Baptismus fidem conferat necesse est.

26. De cœna Domini testatur Apostolus, mediante pane & vino dispensari nobis corpus & sanguinem Christi. Vnde $\kappa\omicron\iota\upsilon\kappa\omicron\nu\iota\alpha\upsilon$ corporis & sanguinis eius nominat 1. Cor. 10. 16. Cuius finis & usus est, ut hoc preciosissimo pignore confirmetur nobis remissio peccatorum, quæ per traditionem corporis in mortem, & effusionem sanguinis est acquisita. Vnde fidem in nobis vel maximè confirmari, & beneficia Christi merito parta, nobis applicari, manifestum est.

27. Quam ob causam Sacramenta nominantur ab Apostolo $\sigma\phi\epsilon\alpha\gamma\iota\delta\epsilon\varsigma$ signacula justitiæ fidei Rom. 4. 11.

Mona-